



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118294**

§. 6. Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.  
A.C. 1425.

Eodem tempore B. Colleta D. Claræ sanctimonialis Corbejæ in Picardia Instituti S. Francisci restauratrix exstitit, qua in re S. Bernardini, qui Ordinem FF. Minorum reformavit, consiliis utebatur, nec non Patrem Henricum de Balma Confessarium suum ex eadem Seraphica Familia adjutorem habebat. Hujus Virginis Beatificationem a Clemente VIII. factam, Paulus V. confirmavit, illiusque virtutæ sanctitatem S. Vincentius Ferrerius tantopere demirabatur, ut eam visendi gratia ex Hispaniis in Gallias proficisceretur. Reformationi suæ annis viginti duobus supervixit, demum vero Anno Salutis millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo sexagenaria Gandavi animam Deo reddidit. Evidem Sanctorum albo inserta non legitur, ejus tamen festum summi Pontifices ab Ordinis sui Religiosis ritu solemni celebrari indulserunt.

### §. VI.

*Petri de Alliaco Cardinalis Cameracensis obitus.*

Bellarmin.  
de script.  
Eccles.

Hoc item anno Petrus de Alliaco Cameracensis Cardinalis, cuius frequens nobis erat memoria, Cameraci die vigesima octava Augusti vita functus est. Inter celebriores ingenii sui partus numerantur Commentarii in quatuor libros senten-

sententiarum, item de laudibus S. Scripturæ ; plures libri spirituales, ac Asceticæ de variis materiis; Sæcul. XV.  
A.C. 1425. Meditationes in quosdam Psalmos (\*), in Cantica Cantorum, in salutationem Angelicam, in Cantica B. Mariæ , & Zachariæ , & Simeonis ; in orationem Dominicam ; Scriptum sacramentale quod vulgo Alliacense dicitur, necnon vitam S. Petri Cœlestini ; ac quosdam tractatus de potestate Ecclesiastica ; de interdicto ; de permutatione beneficiorum ; de legibus ; de Concilio Generali, denique tractatus de Astronomia, de Sphæra , & de Meteoris Aristotelis. Cuncta ista opuscula publicis literis impressa exstant. Plura tamen alia necdum typis edita asservantur in Navarrensis Collegii Bibliotheca. Palmam vero reliquis præripuit Commentarius de reformatione Ecclesiæ, qui nil nisi plurimum aliorum hujus materiæ operum Synopsis est.

### §. VII.

#### *Joannis de Curtacoxa Doctoris obitus.*

Circa idem fere tempus, aut forte anno Dupin. elapso mortuus est Joannes de Curta- Bibliot. coxa Doctor, & primum Parisiensis, postscript. tom. stea Genevensis Episcopus, Gallice dictus 12. p. 84.

L 1 4                    Cour-

---

(\*) Scilicet 30, & 41num.